

hominem obstinatum irruente in se, ut post patuit, Spiritu Dei, ad divinum iudicium appellavit, diem ei præfigens. Quid plura? Henricus appellationem contempsit, et Cuno domum rediens, omnibus modis, quibus potuit, ad eundem diem se præparavit; dicebat igitur Abbati: Domine, sexta feria crucem accepi: sexta feria transfretavi: sexta feria in Capella mea me vobis tradidi: sexta feria habitum indui regularem: Deus sexta feria laborum meorum mihi restituet mercedem; expletis vero jam tribus annis in sancta conversatione febre correptus est, visitatus ab amicis se dixit tertia die mortuum: illi autem recedere volebant, eo quod leve esset ejus infirmitas, et nulla adhuc signa mortis apparerent: sed ipse rogabat, ne solemnitati suæ deessent; et factum est ut moretetur die tertio, hoc est in vigilia Sancti Jacobi, sicut ipse prædixerat: eo sane tempore erat mulier obsessa in villa proxima, quæ hora mortis ejusdem Canonis liberata est, et venit ad Sacerdotem suum, dicens, dæmonem exisse. Post paulum vero rediens diabolus, gravius vexare miseram cepit: adducta est igitur ad Sacerdotem, qui quasi concionando cum diabolo cepit interrogare eum, et dicere: « Miser tu exieras? ita est, inquit. » Et ubi, ait, fuisti infelix? ad quod diabolus: « Cuno ibi super martam jacebat, et debebat mori, ad cuius transitum festinantes, pene quindecim milia sociorum meorum, cum maximo tripudio illic transibant, et videbar mihi nunquam gaudium aliquod habiturus, nisi ivissem cum eis; sciens autem vas istud mihi traditum amittere non posse, reliqui illud ad tempus, et ivi cum eis; » dixitque Sacerdos: « Quid actum est ibi? Respondit diabolus: « Supervenerunt maledicti tonsurati illi, et circumstantes cadaver, atque, orantes ita valide propugnare cœperunt, quod nullus nostrum propius accedere ausus fuit. » Dixit iterum Sacerdos: et ubi devenit anima? Respondit diabolus: « ad pedes Altissimi. Et videte boni homines, quanta nobis injuria sit allata. Homo iste nobis servierat plus quam quadraginta annis ad omnem voluntatem nostram nocte ac die paratissimus, et modo tribus annis tantum alteri servivit Domino, ut ille nobis abstulit eum. Cum igitur nobis anima auferretur, furore commoti in nos invicem tota debacchatione grassati sumus, et ego modo non habeo, ubi me vindicem, nisi hoc vaseculo, quod mihi

traditum est. Ex cuius occupatione doloris remedium aliquantulum recipio. » SPEC., EX. V. Mors., ex. 18.

Bernardinus Pallius Capuce. Generalis longo ipse usu doctus magnifice de toto orationis negotio loquebatur; si quis enim a se peteret, quisnam bonus esset? responsurum illico dicebat: « Qui orat: urgenti quis melius? non mutaturum se, sed additurum: Qui melius orat: prementi adhuc instantique: quis omnium optimus mortaliū esset? idem repositurum commutata vocula tantummodo: Qui omnium optime orat. Oraculum hoc si cum Demostheno, ad Augustiniano conferas, ut illo multo sublimius, ita huic suppar judicabis. Nam ut actionem Oratoris, cum Christianis precibus non componamus, Modestiam animi, cui Augustinus primas, et secundas, et tertias tribuit, ita bene cum Oratione convenit, ut dissociatæ nusquam inveniuntur. » JOAN. RHO., l. III, c. VIII, 25.

DIGNITAS. — S. Chrysostomus ait, apud Angelos in honore et æstimatione esse eos, quos Deo per frequentem orationem vident magis familiares esse, et tunc ad stare ipsos magno cum silentio, et postquam cessaverint, applaudere, laudare, admirari. L. de Ora. Deo.

S. Bernardus vidit noctu Angelum thuribulo, thymiamate cœlesti referto, chorum lustrare, et divina illa thymiamatis in intimis ferventium præcordiis odores ac fervores cientem, somnolentos autem cum nausea negligentem. NADAST, in Anno Aug., heb. 18, n. 8.

Dioraticus vir S. teste S. Dorotheo, vidit noctu in principio Psalmodiæ ac Sacerario ingredientem Angelum veste splendida indutum, qui omnes Religiosos præsentem ambulando signabat, uti et subsellia legitime absentium; pertransisse vero loca eorum, qui per desidiam aberant. S. DOROT., Doctr. XI.

MEDITATIO. — B. Virgo, teste D. Bernardino Senensi, tanto lumine illustrata fuit, ut, etiamnum in utero materno existens perfectius Deum contemplata sit, quam alii homines in ætate perfecta, magisque excesserit in contemplatione dormiendo, quam alii vigilando, T. I, s. LXI.

Isaac egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata jam die, et deambulabat per viam, quæ ducit ad puteum viventis et videntis. GEN. XXIV, 62.

S. Franciscus perdidit et pernox in illa oratione: Deus meus et omnia: hærebatur, sæpeque visus est corpore sublevatus a terra, et nubecula quadam fulgente circumdatus. D. BOS., in Vit., c. x.

S. Aquilinus Episcopus Ebroidensis ut liberius meditationi vacare posset, non longe ab Ecclesia distantem elegit cellam, ibique secretum quærens, animarum causas et negotia tanto curabat melius, quanto plus corporum declinabat præsentiam. SUR., XIX, Oct.

Joannes de Firmo septennis etiamnum puer clam se a puerorum consortio subducebat, ut attentissima mente in agro paterno Christum passum meditaretur; id quod tam serio faciebat, ut præ lacrymis cor parvulum deficere, et in amore Crucifixi tabescere videretur. NAD., in Anno crucif., heb. 32, n. 3.

Frater Ægidius tam sæpe et tam ardentem de Deo, ejusque beneficiis et operibus meditabatur, ut non potuerit postea de Deo sine extasi cogitare; unde fratres ejus colloquio frui cupientes studiose cavere debebant, ne de Deo, vel SS. Trinitate mentionem facerent. SUR., t. VII.

S. Bernardus Eugenio Pontifici scribens, inter cætera dicebat: Quod vivis et sapis, totum das actioni, considerationi nihil, laudo te, in hoc non laudo. Hinc quinque libros de consideratione ad eundem scripsit, et in iis sic eum colloquitur: Si totus vis esse omnium per actionem instar illius, qui dicit: Omnibus omnia factus sum, esto et tuus, nam et tu homo es, in sinu tuo, quo omnes recipis, te ipsum etiam collige. Omnes habent te, esto, et tu ex habentibus unus; ut quid solus fraudaris munere tui? quid prodesset, si universos lucreris, te ipsum perdas? sapientibus, et insipientibus debitorem, et soli negas te tibi: omnes de fonte bibunt, de pectore tuo, et tu seorsum sitiens stabis? Si maledictus, qui suam partem facit deteriorem, quid ille, qui se penitus reddit expertem? S. BER., l. I, de Consid.

#### EXEMPLA DOMESTICA.

QUALITAS. — S. Ignatius in horas singulas se colligebat, animumque in Deum elevebat. Tam frequenter autem orabat, ut ex intentione animi morbum contraheret. In

rebus gravioribus nihil statnebat prius, quam rem Domino in oratione commendasset. Sperabat se presidio orationis quamcumque molestiam, etiamsi Societas dissolveretur, æquo animo laturum. Hinc inter vias et rationes ad suos custodiendos adhibitas, primum precandi et commentandi studium persuasit, quo se velut quotidiana esca refecerent. RUB., l. I, Vit., c. 1.

S. Franciscus Xaverius pro attentione comparanda ante singulas Horas Officii divini hymnum Veni, Sancte Spiritus, recitabat tanto fervore, ut ei cor e pectore exilire, animumque deficere videretur. Hinc ejus oratio ardens semper et accensa, ac plenusque celestibus deliciis affluens erat. Libentius autem in sacris ædibus, quam aliis in locis orabat, eo quod crederet, in illis Deum benignius audire orantes. ORL., l. I, hist., n. 92, Vit., l. VI, t. V.

S. Franciscus Borgia omne tempus perire existimabat, quod non cum Deo, aut ad Deum pertinentibus transigeretur. In Missa lacrymas ubertim fundebat, gratiasque postea diutissime egit, ut nonnisi ægre et cum suspiriis ad prandium duceretur. Extra se non raro positus videbatur: corpore quidem præsens, animo vero in cœlis versabatur. Negotiis diurnis, quoad fieri poterat, se subducebat, ut in orationis montem secederet. Altari summo imminem cellam frequenter adibat Romæ, talemque etiam in cæteris Societatis collegiis extruendam curabat. Orandi et in se inquirendi studiosos amabat et consuetudine illorum diu delectatus. Collegiorum ipsis curam mandabat, ut eam ipsam socios fidei suæ creditos virtutem docerent. Vit., l. IV, c. IV.

B. Aloysius tantum studii in oratione ponebat, ac si in ea virtutum summa omnium posita esset. Hinc dicebat Religionum tam miseras facies ex una oratione neglecta provenire; illam esse compendiosam viam ad perfectionem; sine illa neminem se perfecte vincere posse. Maximas reputabat delicias, cum orationis tempus appropinquabat, dicebatque, se putare, eum, qui has delicias semel gustasset, non facile ab oratione avelli se passurum. Omnem in præparatione diligentiam adhibebat, dicens, animum non præparatum tam parum posse divinam similitudinem in se recipere, quam parum aqua turbida humanam faciem representat. Ne distraheretur, ab expendo etiam abstinere. Nihil erat ei facilius, quam mentem



cum Deo conjunctam habere, tantumque sentiebat ipse difficultatis in cogitationibus a Deo avellendis, quantum alii, mente in Deo unienda. *Vit.*, l. II, c. III.

P. Petrus Faber tam incenso in orationem studio ferebatur, ut præter quotidianæ Psalmodiæ pensum, contemplationis nocturnæ, quocumque ingrederetur, ansas ubique quæreret, et captaret orandi. In itineribus optatissima nactus otia, totum prope tempus piis cogitationibus et sanctis precibus consumebat. In conducendis hospitibus ac permutandis hospitibus mos ei erat, primo suo ingressu singulis in cubiculis preces flexo genu funderet, tum ad abigendos impuros spiritus, qui aërem obsident, tum ad arendam acris inclementiam; memineratque inter has preces etiam eorum, qui vel habitassent olim in tali domicilio, vel imposterum essent habitaturi, ne quid eorum animis illa habitatio noceret. Triplex potissimum orandi genus adhibebat, nempe ex Litanis, quas assidue et ad omnem adhibebat usum; ex mysteriis vite, et passionis Christi, per quæ tum singulas S. Triados Personas, tum omnes cœlestes obtestabatur: ex præceptis Dei et Ecclesiæ, nec non peccatis et virtutibus, animæque internis pariter atque externis potentiis. Aiebat orantis amorem et charitatem ex orationis attentione perpendi. Quocirca ad continentiam in ea mentem, præsertim in imperata Psalmodia vias omnes, indagabat, præcipue vero sequentes industrias adhibebat. *Vit.*, l. II, c. IV. 1. Tempus orationis sæpe in memoriam sibi revocabat, et paulo ante omnia negotia disponebat. 2. In ipsa oratione post singulos Psalmos dicebat: Pater cœlestis, da mihi spiritum bonum. 3. Imaginabatur sibi utrumque Angelum bonum et malum, illum quidem omnia verba pia pronuntiantem, hunc vero omnes evagationes scribentem. 4. Imperabat animo, ut vel in uno Psalmo sine evagatione persisteret: id si acquisivit, ad alium dein simili cum pacto progressus est. Perfecto Psalmodiæ munere, nisi ex sententia voloque succederet, concipiendum esse dolorem aiebat, sed quietum, qui perpetuus sit, et ad novum usque tempus Psalmodiæ duret. Ex quibus industriis illæ suavitates ac dulcedines, quibus tamquam jucundo pabulo se recreabat, ortum habebant; negabat enim citra Dei miraculum fieri posse, ut qui nulla precandi cupiditate ac fame, nisi

tum, cum constitutum precationi tempus advenit, incitatur, is solidiorem ex ea gustum voluptatemque percipiat. *Hist.*, sec. I. III, n. 35.

P. Franciscus Suarez studiis licet occupatissimus, tamen, cum se orationi dabat, omnes penitus curas usque adeo deponebat, ut affirmaret, quoties Breviarium in manus sumeret, ita omnes mox alias cogitationes evanescere, ut nulla res quantumvis magni momenti eum distraheret, quam collectionem temporis distributioni (quam ille matrem spiritus vocabat) adscripsit. *Vit. t. de Ang. Præs.*

P. Sebastianus Barradius jam senex duodecim horas in exercitiis spiritualibus quotidie insumebat et tanta cum attentione, ut strepitus introeuntium in cubiculum vel sacellum non audiret. Hic quanta mentis animique contentione Deum sacerdotali ex formula quotidie, extremam præsertim laudaret ætatem, vel ex eo discere possumus, quod lentissimo faceret, sex solidas horas huic ille operi destinabat, et ne amicus senectutis somnus obreperet, vel diliciteo ad fenestram pectore frigidissimæ auræ morsu illum vellicabat, vel frigida manus ac faciem aspersu prorsus abigebat. Idem medicis per valetudines abstinere jubentibus, alto cum suspirio, quantum poterat, oblectabatur: Quid, inquebat, cum hominibus famulari permittis, Dei laudibus interdictis? ac ne præsidium accederet auctoritas, illis ad se adentibus, vires, quantum quidem poterat, excitans, se vegetum animoque erecto ostendere conabatur, ut dulcissimo sibi labori parem crederent, nec abstinerent; nam gravior illi ipsa morte videbatur vita, quæ Dei laude non viveret. *Vit. t. pr.*

P. Baltasar Alvarez septem suas horas Canonicas cum magna quiete et reverentia, suis temporibus, et in relecto loco, ut cordis effundendi occasiones fugeret, recitabat; nunquam est visus in aliquo transitu orare, nec deambulans, sed per multos annos in medio sui cubiculi flexis genibus orabat. Ordinarie orabat solus, ut diffusius orare, atque in sensis, quæ Deus communi-cabat, hærare ac frui posset. Ex frequenti usu Psalmorum in suis exhortationibus, et spiritu, quem ex eis hauriebat, advertebatur horum internorum sensuum equi-magnitudo: perpendebat enim valde quolibet eorum verbum. *Vit. c. VI.*

In Ludovico de Ponte ea fuit reverentia

erga SS. Eucharistiam, ut, cum cernuus eam adoraret (adorabat autem sæpissime) videretur infra terram et fines rerum, ad nihilum usque velle dimittere. Solebat horas Canonicas, si poterat, coram venerabili Sacramento a genibus, aut certe si egredi non potuit, versus illud recitare. Si ob difficultatem respirandi pronunciare preces non poterat, intus eas non minori sensu atque ardore dicebat. Neque pro Romano Breviario prolixo voluit nunquam privilegium brevioris admittere. *Vit. l. II, c. VII, n. 2.* Consueverat, etiam raptim interspire, cum Psalmi suggererent affectum. Ubi ad illa verba pervenisset: «Procidamus ante Deum:» tum vero totum corpus prosterneret humi, non minori animi sensu ac reverentia, quam si præsentem Dominum intueretur. Reliquum vero sacerdotialium laudum ita solvebat attentus, immotusque, ut interpellatores non admitteret, quicumque illi demum essent; nec cuiquam roganti ante absolutas preces verbum redderet: ut mirum non sit divinis voluptatibus fuisse delibutum, qui cœlestem rorem tam attente colligeret. *JOAN. RHO.*, l. III, c. X, n. 6.

P. Leonardus Lessius mirabatur officium canonicum ab aliquibus desultorie percurrri, ut spontaneis se precibus impendant, cum non has, sed illud primæ curæ esse oporteat. Ad id a negotiis non secus, quam ad laborum solamen placidamque quietem se conferebat; singulorum Psalmorum litterales, anagogicas, et allegoricas intelligentias callebat, et præterea quo quisque Psalmus fine, affectu, et modo fuit conceptus, quibus omnibus assequabatur, ut singulari cum facilitate et oblectatione compositam mentem in divino isto officio contineret. *Vit.*, c. X, n. 48.

Joannes Berchman nihil aggrediebatur, nisi Deo per orationem consulto. Affirmabat omnium imperfectionum remedium esse orationem. Ejus axioma erat: «Si non habuerit orationis habitum, non vivam in societate cum pace.» Ad orandum se componebat oculis clausis, manibus ante pectus adductis, genibus perpetuo flexis, corpore ad stuporem immoto, ore quasi subridente, eo ardore, ut aliqui juxta ipsum flecterent tantum ideo, ut aliquid ardoris ex ejus propinquitate haurirent. *Vit. f. 137, 28, 215.*

Bernardus Japon a S. Francisco Xaverio Romam missus doceri quidem cepit, sed

ob infirmam valetudinem, cum sola ei Dominica oratio exposita fuisset, postea etiam valentior factus nihil præterea sibi addiscendum putaret, quidquid enim scire oportet, ea in oratione contineri, illam sibi, et obedientiam, omnium loco studiorum esse; et tamen erat ingenii peracuti. *Hist. soc.*, p. I, l. XIV, n. 1.

P. Antonius Criminalis quotidie trigiesis prolixius orare consueverat. *Id.*, l. XII, n. 66.

P. Franciscus Villanova tantam ex orationis studio familiaritatem cum Deo se nactus, ut Deum semper præsentem, lacrymas quoque de Deo ad placitum haberet. *Hist. soc.*, p. II, l. I, n. 127.

Anterebant tantum diei, ac virium Petro Cottono Henrici Magni, cui a Confessionibus et concionibus erat, Aula, et Christianæ rei commoda, ut vix quidquam illi otii superesset ad contemplationem, ac de legitimi somni spatii quicquam decerpere, sine periculo valetudinis, non posset. Ergo qua erat in Deum spe, petere ausus, ut liceret vel in somno divina contemplari, feliciter impetravit: quamquam ille, quantum con-niti poterat, in tanto negotiorum astu, descripta quotidianæ commentationi, Sacrificio, et divinis laudibus tempora, ita sibi seposita volebat, ut viros etiam utriusque ordinis Principes a limine severissime id temporis excluderet, securus ofensionum. Quod quum de quiritantibus audisset Henriens, hominis institutum laudavit eumque chariorem habuit. Multum interest, utrum humanis volens libensque, an coactis impliceris; qui ultro sequuntur, vix ulla sublimioris quietis superest spes, coactis multa indulget Deus. *JOAN. RHO.*, c. V, n. 8, *ex nostris.*

Sancta Bellarmino fuit ea horarum partitio, qua divina carmina a sacerdotibus decantari veteri Ecclesiæ mos fuit. Adiverat ad invendum hominem Petrus Aldobrandinus Cardinalis, qui ut admissus in cubiculum, vidit eum de genu horarias preces recitantem, neque sibi assurgentem, cum nec interpellare esset ausus; nec porro quidquam interrogare, audivit ab eo, sua Deo tempora sarta esse servanda; jamque vulgatum id erat in aula, ut quieto, quocumque in loco, vel Principum conventu suas preces peragere liceret. Idem, cum in cubiculo inambulante offendisset socius, et quod toto ex ore se probebat, medicabun-



dum, rogavissetque, num forte sacerdotale pensum persolveret, admirans respondit: « Adeone me Dei negligentem putas, ut obambulans eum solemniter precari sustineam? » Digna Viro vox; obiter Deo supplicat, qui obambulando precatur. *Id.*, c. x, n. 3, *ex nostris*.

Benedictus Herbestus extrema valetudine vestes numquam exiit, nec se lectulo credidit celsi animi vir, qui necessariam illam quietem segnitium interpretabatur; verum extremam jam proximam luctu, ministro decumbentium abscedere jussu, nec nisi post horam ad se redire medio in conclavi genibus nixus, solennes Sacerdotibus preces auspiciatus eo abiit, ubi dulcissimo nullo labore aeternum persolvit. *Id.*, n. 4.

Eluxit in Claudio Aquaviva adhuc puero, quæ in sene miraculo propemodum fuit, singularis divinas inter preces animi pietas. Vix decimum supergressus annum, eas persolvere orsus est, usurpabatque quæ tunc magna erat in celebritate Sanctæ Crucis Cardinalis descriptionem. Jam vero vir, et Reipublicæ admotus, obrutusque negotiorum mole, ac temporibus durissimis exercitus, adeo, dum recitaret, ibi totus erat, ac si extra hominum consuetudinem ageret in solitudine: tantis incenebat lætitiis, ut crebro gemitu ac suspiriis se proderet. Rapiebatur maxime Psalmorum sublimitate, ac latentis, sed viris magnis non ignota in illis Divinitatis vi, ut divino lumine superfusus abditos ibi thesauros videret: quorum indicem in aliquot eorum subsecivas commentationes homo occupatissimus ad posterum etiam transmisit. Addebat etiam quotidie plerasque privatæ hujus pietatis exercitationes, adeoque inter induendas vestes, compositis ad sacerdotalium imitationem carminibus precabatur. *Id.*, n. 7.

**MEDITATIO.** — Sanctus Ignatius P. Jacobo Layni suadenti, ut longius tempus pro meditatione prescriberet, dixit, sufficere etiam unicum quadrantem ad vitam religiose instituendam. *Lanc. op.* II, n. 182.

S. Franciscus Xaverius ne in summis quidem Commorini occupationibus horam meditationis intermisit, quippe meditando occupationem præcipuam dicebat; hinc nocturnæ quieti aliquot horas detrahebat, quas orationi dabat. Maxime vero in Christi vite mortis meditatione acquiescebat, satis gnarus ibi eximia omni exempli documenta in illustri posita monumento intueri, at-

que imitari licere. Hoc meditationis genus maxime salubre, ac frugiferum, præcipuum utique exemplar Christianæ vitæ, et ingens invitamentum divinæ charitatis impense complectebatur ipse, et aliis commendabat. *Vit.* I. VI, c. v.

S. Franciscus Borgias post noctem maxime meditati vacabat, quo tempore ita extra se rapi videbatur ut quinque vel sex horas momenti instar judicaret, surgeretque ignibus quasi inflammatus. *Vit.* I. IV, c. iv.

P. Jacobus Laynes, etsi multis et præclarissimis a Deo donis, et doctrina præsertim rara et excellenti, societatem perinde, ut S. Ignatius pietate illustraret, tamen precationi et meditationi pleraque accepta referebat. Hinc sive privata, sive publica, sive sua, sive aliena res gereretur, sive adversa, sive secunda inciderent, precibus ad Deum tanquam portum, sic ab Ignatio edoctus confugebat. *Vita.* I. III, c. xvii.

P. Franciscus Suarez, qui omnem Theologiam cum pluribus tomis egregie illustravit, ingenne fassus est, malle se, quidquid scientiæ acquisivisset, perdere, quam unicam solite meditationis horulam intermittere. *Vita t. præfata*, et *Bibl. scrip. soc.*

P. Baltassar Alvarez ex dono Contemplationis, post sexdecim annos in ordinario modo meditando adhibitos, fassus est, se sequentes fructus percepisse. 1. Subsidium ad vivendum in cruce, in labore, et probatione, quandiu voluerit Deus. 2. Veram opinionem et præparationem pretiosam, scientiamque illud a vili separandi. 3. Media satis apta, nec difficilia ad cælum perveniendi. 4. Novam notitiam et intelligentiam veritatum, quibus ad pectus usque ipsius Dei penetraret, ex quo veritates illæ fuebant. 5. Vitam et spiritum interiore, et per hunc remotionem omnium impedimentorum perfectionis. 6. Solatium et levamen in gubernatione, ut inter multas curas, quasi sine cura transiret. 7. Evanescentiam anxietatum et tentationum habendi plus temporis ad orandum. 8. Compassionem cum alienis defectibus. 9. Humiliationem prudentem in propriis peccatis. 10. Summam animi tranquillitatem ac pacem. *Vit.*, c. xiii.

P. Franciscus Villanova ante, quam alii surgerent, jam ordinarie per horam meditati fuerat tantamque et familiaritatem hac cum Deo fiduciam est consecutus, ut licet

pauperrimi Collegii esset Rector, numquam tamen penuriam pateretur. *Hist. soc.*, p. II, l. I, n. 127.

Bertrandus Coadjutor et infirmarius circumgestata clepsidra orationis horam mensurabat, ne vel particulam doni hujus boni per officii sui distractiones amitteret. *Anal.*, 1602. Pr. *Belg.* col. Lovan.

P. Petrus Faber fatebatur, plus se jucunditatis, et solidi gaudii succique sentire in meditationibus, quas ad salutem proximorum dirigebat, agendo hominum causas cum Deo, quam ex altissimarum rerum consideratione, si ab omni eam vel vivorum vel mortuorum utilitate sejungeret. Erat autem quotidiana meditationis ejus materia vita Christi, licet præter illam interdum etiam alias adhiberet. *Vita.* I. II, c. iv.

P. Ignatius Martinus diebus singulis ac noctibus horas quinque meditationi flexibus genibus immobili firmitate impendebat. *Annua* 1598, f. 158.

P. Georgius Colibrand quotidie ab hora nona ad decimam noctis de novissimis meditabatur. *Annua* 1609, f. 230.

P. Gonsalvus Sylveria dum in Judæa Provincialis esset, constituit, ut socii omnes tempore pomeridiano etiam integram horam de Deo et divinis rebus contemplationi darent, quo ad bene vivendum, atque ad conversionis officium cum fructu peragendum ab eo vires acciperent. *Vit.*, l. III, c. i.

Joannes Berchman quamdiu bene valuit, non solum non intermisit, sed neque trajecit quidem statam meditationis horam, ut plus virium haberet suam cum aliorum precibus conjuncta oratio. Audito signo ex meditatione statim surgebat, factoque examine, calamo excipiebat illustrationes, proposita. *Vit.*, p. I, s. xxviii, f. 151.

Conimbricæ olim instar criminis habebatur, si quis e Collegio pedem efferret, et non prius coram SS. Sacramento meditationis materiam pararet. Unde fiebat, ut nonnumquam in itinere æstus contemplationis abrepti in obvia quæque seu homines, seu jumenta, seu lapides, velut oculis et sensu capti incurrerent, occursantium ludibrium. Durabat oratio etiam in mensa, unde tantus in vultu pallor exorsus erat, ut externi joco dicerent, palearum illos fuligine eum sibi colorem accersere. *Hist. soc.*, p. I, l. V, n. 35.

Petrus Vellon Coadjutor Lapidica pro Pes-

tis quatuor, in ipsis vero Festis octo horas vel in cubiculo, vel ante Venerabile Sacramentum genibus nixus impendit.

## EXEMPLA PROFANA.

Scipio Africanus numquam rem aliquam arduam auspicatus est, quin prius a Jove consilium et auxilium pro felici successu petierit. *BERL. the.* 2, in *festo S. Bart.*

Cræsus Lydorum Rex a Coyr victus, et rogo, ut cremaretur, impositus, Apollinem invocavit, ut rogam extingueret. Quod mox coacta cælo sereno nubes copioso imbree fecit. *Id.*

Numam Pompilium Jovem e cælo precibus suis deducere potuisse, superstitionis credidit antiquas. *Id.*

Lacedæmones, teste Platone, orante solum pulchra et bona petere solebant, nec unquam aliud quid precari auditi sunt. *DREX., v. Or. in loc. simil.*

## SIMILITUDINES.

**QUALITAS.** — Sicut ii, qui ad audientiam magni Domini admittuntur, famulos suos extra conclave reliquunt; ita qui ad Deum oraturi accedunt, creaturas et negotia (quæ ad famulandum homini datæ sunt) extra cordis conclave, vel templum relinquere debent.

Sicut sponsa cum sponso solo amicum habens colloquium, indignatur, si quis januam pulset, eamque a tam grato colloquio abstrahere velit, ideoque expectare eum jubet; ita et anima cum Deo colloquens, si quidem eum amet, cum indignatione repellere debet omnes cogitationes, quæ januam cordis pulsant, eamque ab oratione impedire satagunt. *Id.*

Sicut is, qui alium comedit, ob fetorem oris ad Regis colloquium non admittitur; ita qui cor terrenis desideriiis plenum habet, merito ab oratione excludendus est. *Id.*

Sicut, qui caponem comederit, et alicui domino sola de illo ossa transmitteret, merito gravem illius indignationem incurreret; ita non parum offendet Deum is, qui in oratione distractus, sola verba, velut ossa Deo transmittit, affectus vero pius, et devotio-



nam (quæ sunt potissima orationis pars) eidem non offert. *FULVIUS ANDR., de Confess.*

Sicut si frater et soror simul coram Principe audientiam habent, frater perorante, deceret, ut soror modeste, oculis demissis, et quieti adstaret; ita cum anima et corpus cum Deo loquuntur, decet, ut corpus ad modestiam atque quietem religiosas se componat.

Sicut si quis supplex tibi advolvatur ad genua, sed manibus atrectet sordidissimis, quas paulo ante luto merserit, non modo non eum exaudires, sed calcibus etiam expelleres; ita nec Deus exaudiet orationem, quæ sordida mente peracta est. *S. CHRYS., hom. LI, in c. xv, Mat.*

Sicut ad Imperatorem nemo pro veste discissa, nec pro decem obolis ereptis audeat accedere; ita etiam tu, atque longe adeo amplius cave, ne ad Deum accedas pro rebus vilibus, contemptis, et nihili, ut verbi gratia, si quis in pecunia tibi fecerit injuriam, aut si quis affecerit te contumelia. *S. CHRYS., in Ps. XLII.*

Sicut si quis tenebrosam subit cubiculum, principio quasi nihil videt, sed si istuc moretur, perspicit, quæ in eo sunt, omnia; ita idem sperare potest, qui in oratione primo parum videns, tamen in ea perseverat. *RODR., P. II, tr. v, c. xvii.*

Sicut arbor, cum plantata est, non protinus grandescit, aut fructus parit, ita nec oratio supervacanea est, quia non est illico fecunda. *FR. ÆGID.*

Sicut fumus ex modica flamma suscitatus cito evanescit, nec alte ascendere valet; sic oratio ex medico fervore spiritus profecta statim remittit, ad Deum difficulter ascendit, et impetrandi viribus caret. *STAPL., in Dom. 20, post Pent., th. 6.*

Sicut, qui absque ullo merito in Rempublicam, peteret magnam pecuniæ summam a Rege, mirari non deberet, si repulsam pateretur; ita nec mirum videri debet, si homines tam male de Deo meriti, nihil per preces obtinebant. *Id. Dom., infr., Oct. Fat. th. vi.*

Sicut si quis filium Regis occidisset, et manus adhuc sanguine ejus cruentas pro re aliqua obtinenda extenderet, indignationem potius, quam liberalitatem Regis provocaret; ita qui in peccato gravi constitutus Deum orat, iram potius, quam misericordiam conciliabit. *S. BASIL., in c. 1 Is.*

Sicut si ferrum in vulnere manet, medi-

camentum non proficit; ita nec oratio proderit, quamdiu dolor, vel odium hæret in pectore. *S. BERN., s. de Mod. ben. viv. et Ven. BEDA., in Festo Inn.*

Sicut ignis, quanto magis in unum colligitur, tanto amplius nutritur, et flammam evaporans sursum impetuosius erumpit; ita et mens cum diutius intra se commorata fuerit, et ardentius per amoris incendium urit in se, et per desiderium elevatur in Deum. *Idem., de Perf. monast., c. xv.*

Sicut qui terram colit, soleret sentes debet eradicare, ut uberores valeat colligere fructus; ita qui dulcedinem devotionis in oratione gestare cupit, summopere impedimenta declinare debet. *S. LAUR., JUST., c. iv, de Orat.*

Sicut qui mendicant ante fores Ecclesiarum, omnem dolorem et deformitatem, quam habent in corpore, ostendunt; sic et tu Domino, et Angelis ejus infirmitatem animæ tuæ ostendas in oratione. *S. BOV., s. v de Confes.*

Sicut aqua, dum per plana et ampla spatia fertur, non in altum exurgit, sed tenem sese late quaquaversus expandit: cum autem manu artificum subtile colligente, stringenteque coacta fuerit in angustum, jam inde sollicita omni telo velocius se in excelsum jaculatur, petitque regionem supernam; sic mens humana dum otiosa, et liberior, quam expedit, degit, diffunditur, lateque defluit. Ut igitur mens nostra in Deum elevetur, intentiusque bona contempletur cœlestia, oportet illam restringere, atque ab affectu et amore horum terrenorum et mundanorum sequestrare; nam ut *S. Greg.* ait, quanto cor hominum terrenna desideria dilatant, tanto sinus cordis ad susceptionem *S. Spiritus* angustatur. *S. CHRYS., hom. v de Nat. Dom.*

Sicut est quoddam genus serpentis, quod, cum vadit ad bibendum aquam, antequam accedat ad fontem, evomit venenum. Imitare ergo hujus serpentis astutiam, et omne venenum amarissimum projice ab anima tua. *S. BASIL., ad Mon. ad Fil. Spir.*

Sicut lignum aridum, omnique humore liberum, aptum est, ut ab igne consumatur; sic mens ab amore temporalium mortificatione purgata, disposita est, ut cœlesti illustratione et calore formetur. *Orig., hom. 1, in Gen.*

Sicut ad elaborandum ferrum non sufficit, quod ignis calore emolliatur, nisi insu-

per mallei ictibus contundatur ad imprimendam ei, quam volumus, figuram; ita quoque cor nostrum per orationis calorem mollicificari non sufficit, nisi etiam adhibeatur martellus mortificationis ad animam nostram elaborandam, tollendo ab ea qualitates noxias, quas habet, et ad figurandum in ipso virtutes, quibus indiget; et hoc sine servire debet dulcedo orationis, et amoris divini suavitas, ut facilius labor, et tædium, quæ mortificationi conjuncta esse noscuntur. *RODR., ap. Mansi, dis. xxxix.*

Sicut gustus corporis singulas alimenti particulas discernit, sapit, ac diglutit; ita interior animæ gustus singula verba Spiritus S. attendat, gustet, atque revolvat: hoc modo psallere, est vere sapienter psallere, quoniam sapientia dicitur quasi sapida scientia. *DION. CART., xvi, Disc. xxxi.*

Sicut vox sine modulatione auribus hominum inoperosa existit; sic oratio absque devotione auribus Dei inexcusable est. *S. LAUR. JUST., c. vi, de Lig. vit.*

Sicut, si quis coram Rege astans et cum eo colloquens, a conservo autem suo vocatus, Rege relicto, cum illo sermones miscet; ita Monachus, qui in sua Psalmodia cum Deo colloquitur, intentione interim mentis suæ alio reflexa. *S. EPHREM., part. L.*

NECESSITAS. — Sicut venti sæpè numero ex adverso ingruentes accensum ignem lucernæ statu diventilato extinguunt, sic et diabolus cum accensam in nobis orationis flammam viderit, innumeris nos sollicitudinibus hinc inde perflatos, non prius sinit quiescere, quam lucem extinxerit. *S. CHRYS., tom. V, hom. LVII.*

Sicut, si quis litem aliqui intentat, coram judice, is, cui lis inferatur, omni studio laborat, ne contra ipsum sententia feratur; ita et dæmon facit, nam quando pius homo Deum orat pro sua alicujus salute, litem intendit dæmoni, tanquam animarum prædoni. *B. ÆGID., ap. Swr., 23. Apr.*

Sicut radix necessaria, ut vigor, viror, sapor, et quicquid est aliorum honorum, ad arborem transmittatur; et sicut fundamentum necessarium est ad universam fabricam sustentandam; ita etiam oratio necessaria est ad vigorem spiritus, ad florem virtutum, nec non ad corroborandam perfectionem in anima. *S. CHRYS., t. II, hom., LXVIII.*

Sicut corpus nervorum beneficio constat,

currit, stat, vivit compactumque est, hisque incisus omnes corporis articuli dissolvuntur; sic animi per sanctas preces conglutinantur, et constant, cursumque habent pietatis facilem et secundum. *Idem.*

Sicut homo, qui per brevissimum spatium temporis respirare desinit, moritur; ita anima, quæ ab oratione desistit, quovis momento in mortis æternæ est periculo. *MAX. SI, Dis., xiv, tr. XXXVIII.*

Sicut corpus nostrum cum animus abest mortuum est, et foetidum; ita nisi se animus ad preces excitet, mortuus est, miser et foetidus; atqui quavis morte acerbius putandum esse preceatione spoliari, vates ille nos Daniel docet, qui mori maluit, quam tribus diebus a precibus retardari. *S. CHRYS., h. vi, 7.*

Sicut Holofernes aqueductum incidit, ne in oppidum Bethulie influeret; ita hostis animarum incidi curat orationem, ne divinum in nos auxilium fluat. *BERL., t. II, in Festo S. Barth.*

Sicut ægrotus, qui vix pedibus consistere valet, assiduo eget alimento; et cæcus, qui pariter difficile graditur, continuo eget ductore, qui eum in via dirigat; et arbor in arido plantata solo frequentibus eget aquis, quibus, irrigatur, ut fructum proferat; et locus sordidus ac malos fetores exhalans, bonis odoribus implendus est, ne necat; et ulcus ardore suo finitimum carnem incendens, frigidis assidue liquoribus refrigerandum est; ita et homo quivis per naturæ conditionem infirmus, per cupiditatem cæcus, in arido hoc mundo plantatus, fomitem peccati fetidum circumferens, assiduis ad Deum orationibus, velut optimo et presentissimo medicamento opus habet. *STAPL., t. V, in Dom. inf. Nat. Dom.*

Sicut piscis sine aqua vivere non potest, atque adeo ex illa extractus, mox deficit ac moritur; ita nec anima potest sine oratione vivere, eaque deficiente etiam ipsa mox deficit. *S. CHRYS., h. II, de Orando Deo.*

Sicut qui nervos corporis incidit, universam corporis harmoniam dissolvit; ita qui orationem impedit, omnem virtutum structuram penitus corrumpit. *Idem.*

Sicut tota olitoris cura in fodiendis irrigandisque plantarum radicibus versatur, utpote ex quibus terræ succus in alimentum arboris attrahitur; ita maxima piorum cura in eo versari debet, ut cogitationum



et affectuum suorum radices in cœlo figant, ut inde cœlestis gratiæ succum trahant, quo virtutum germina in terra proferant.

Sicut pullus recenter exclusus necesse habet pipire, atque ope parentum gemitu suo implorare; ita homini gratia nudato, et ex omnibus auxiliis destituito oratio ante omnia est necessaria. GRAN., l. III, *de Orat.*, c. XI.

Sicut qui domum periculo incendii expositam habent, aquam semper paratam in propinquo habere quoque debent; ita cum quisvis homo concupiscentiæ flammis obnoxium esse se sciat, merito orationis medium semper in promptu habeat, necesse est. *Vit. PP.*, l. III, n. 209.

Sicut sine calore naturali impossibile est vitam hominis corporalem conservari, alimentaque prodesse, et bonam concoctionem fieri; ita sine oratione vita animæ consistere nequit: per illam autem spiritus vires acquirit ad operationes vitales exercendas. S. TH. DE VILL., c. XI.

Sicut miles sine armis ludibrium est hostibus, utpote quibus neutiquam nocere, facile autem ab iis superari potest; ita homo sine oratione, cum se contra insultus dæmonum tueri non valeat, haud difficulter ab iis vincetur, et subjugabitur. S. THOM. AQUIN., l. p. *Hist. S. Dom.*, l. III, c. xxxvii.

Sicut ad agros fecundandos non sufficit una pluvia, sed frequentiori imbre opus est; ita ut homo potatos virtutum fructus ferat, non semel, sed sæpius pluvia gratiarum per orationem petenda est. S. CHRYS., ap. *Rod.*, p. I, tr. v, c. xv.

Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus non potest cernere, nisi candore lucis adjutus; sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æternæ justitiæ luce divinitus per orationem adjuvetur, recte vivere non potest. S. HILAR., l. de *Ha. et Grat.*

Sicut faber ferrarius, quando opus juxta votum non succedit, illud in ignem denuo injicit, et recudit; ita ad orationis ignem sæpius redeundum, et desideria bona recedenda sunt. *Rodr.*, p. I, tr. v, c. xvi.

Sicut qui cum tremibus contrario vento navigant remis fortius navem impellunt; ita in oratione, deficiente prospero vento internarum illustrationum, vires ac potentias nostras tanto amplius applicare necesse est. *Id.*, c. XVIII.

Sicut hortulanus in eo omnem curam

ponit, ut terram semper humidam et teneram conservet, quo aptior sit ad fructus producendos; ita servus Dei ante omnia operam dat, ut cor suum semper sit plenum humilitate et fecunditate gratiæ, quam ab oratione recipit. *Id.*

Sicut radii solares semper cum sole conjungi necesse habent, ut conserventur; ita ut anima in devotione et splendore supernaturali vitæ perfectæ conservetur, perpetua cum Deo conjunctione opus habet. *Id.*

Sicut arbor in loco, in quo a sole lunæque irradiari non potest, nec crescit, nec fructus producit; ita qui per orationem cœlestis solis lunæque influxus recipere non studet, nunquam in virtute et perfectione proficiet. *Id.*

UNTAS. — Sicut in medicina corporali quædam sunt alexipharmaca, pluribus morbis curandis utilia; ita omnibus animæ infirmitatibus unica est medicina, oratio: inclinatur quippe et ad se trahit Deum velut medicum animarum nostrarum, qui solo nutu quæcumque perditæ restituit. *BER.*, t. II, in *Festo. S. Barth.*

Sicut, ubi Regina ingreditur aliquam civitatem, necesse est, ut omnis opulentiæ pariter consequatur; sic postquam deprecatione venerit in animam, omnes virtutes simul ingrediuntur. S. CHRYS., l. II, de *S. Orando. Deo.*

Sicut luna pro vario accessu solis magis vel minus crescit in lumine; ita anima tanto magis in virtute proficit, et irradiatur, quanto propius divinitatis soli per orationem conjungitur. GRAN., l. III, *de Orat.*, c. XII.

Sicut terra ad solem purgatur, et quotidie candidior efficitur; sic anima soli justitiæ per orationem exposita, quotidie purior sanctiorque evadit. *Id.*

Sicut ii, qui cum Rege collocuti sunt, ab eoque honorem consecuti, non dignantur in contubernium venire mendicorum, et abjectorum hominum; ita qui ad familiaritatem Dei admissus est, nequaquam dignabitur in mundi, carnalis et dæmonis contubernium venire. S. CHRYS., de *Precc.*, l. II.

Sicut si quis unguentiariæ tabernæ assidet, etiam invitus accipit illum odorem; ita multo magis, qui Ecclesiam et orationem frequentant, etsi duri et asperi sint, incipiunt tamen aliquando ea, quæ audierint,

et intellexerint, opere complere. *Id.*, h. II, in *Joan.*

Sicut lapis, quo altius ruit, tanto fortius cadit, et tundit terram: et aquæ, quæ paulatim de cœlo cadunt, magis prosunt arvis quam quæ magno impetu ea perfundunt; ita et doctrinæ, quæ ex oratione cœlestis hauriuntur, magis prosunt, quam quæ propria experientia et labore hauriuntur. *NEX.*, in l. de *Ador. in spir.*

Sicut ferrum in igne mollescit, ut ad omnem nutum artificis tractari et formari possit; ita per orationem homo emollitur, ut flecti sine labore in Dei voluntatem possit. *Rodr.*, p. I, t. V, c. XIV.

Sicut fons in horto positus, omnibus plantis vigorem et virtutem per aquas suas communicat; ita orationis efficacia omnes virtutum plantæ vividæ, floridæque conservantur. *Id.*, c. XV.

Sicut, qui incantant serpentes, non intelligunt vim verborum, et tamen illos fugant; ita sæpe meditantés divinas scripturas, et orantes, licet non intelligant, quid dicant, tamen fugant dæmones. *Vit. PP.*, l. VIII, n. 40.

Sicut quando carbonibus vivis thus injicitur, optimus odor spargitur; ita cum amoris prunæ thus orationis accipiunt, Deo gratissimus odor incenditur. *DREX.*, in *Rhes. cel.*, l. I, c. XV, § 3.

Sicut respiratio non solum est causa, sed etiam signum vitæ; ita oratio vitalis plane ac salutaris est, etiamsi non impetret, quod postulat. Atque ideo David dixit: Os meum aperui, et attraxi spiritum. *Id.*

Sicut si qui Regem familiariter alloquuntur, et apud illum locum obtinent dignitatis, fieri non potest, ut inopia laborent; ita fieri omnino longe difficilior potest, ut, qui supplices ad Deum accedunt, et cum eo colloquantur, mortales animos nanciscantur. S. CHRYS., l. LXVIII.

Sicut corporis virtus exercitatione augeatur frequentî, at in exercitiis minuitur, et labitur; plurimi enim exercitii dissuetudo etiam naturalem consuevit dissolvere virtutem; similiter animæ fortitudo exercitationis assiduitate solidatur, et labor ipse disciplina sit non oneri futurus sed usui. Hunc cibum menti nostræ deferamus, qui multa attritus meditatione, ac politus, cor hominis, sicut illud cœlestis manna confirmat.

Sicut carnalibus cibis alitur homo ex-

terior, sic devotis orationibus homo interior pascitur, ac nutritur. S. BON., p. I, *Spec., dist.* II, 22.

Sicut aqua ignis extinguitur; ita concupiscentiarum vitiosarum impetus oratione superatur.

Sicut speculum facit hominem seipsum cognoscere; ita oratio clarius facit homines agnoscere defectus suos, vel profectus; quia lucidius conscientia ibi se sibi representat, et vel ex profectus consideratione in fiduciam spei læta erigitur, vel ex defectus consideratione confunditur. S. BON., lib. II, de *Per. Relig.*, c. LXVI.

Sicut corpus solis lumine, sic animus precationum radiis illustratur. Si ergo cæci calamitas est, solem non posse aspicere, quanta tandem est Christiani veri factura, non assidue Deum precari, Christique splendorem in animum precibus inferre. S. CHRYS., h. LXVII.

Sicut ille, qui tenet castrum Regis in obsidione, si obsideretur ab inimicis, reputaretur infidelis, nisi castrum Regis denunciaret obsessum, vel peteret succursum, vel nisi expectaret a Rege auxilium, vel si post auxilium redderet hostibus castrum; sic cum hostes visibiles et invisibiles obsident animam tentationibus, statim debemus Regi Regum nuncium orationis mittere, et obsidionem denunciare, sicut faciebat Propheta, qui dicebat: « Concilium malignantium obsedit me. » Deus enim non differt auxilium mittere. S. BON., in *Diet. sal.*, tit. II, c. v.

Sicut urbs mœnibus minime septa, facile in hostium potestatem venit, ideo, quod nemo illos propulsare possit; sic precatio animam non communitum facile diabolus in suam redigit potestatem, facileque contaminat omnium turpitudine flagitiorum. Sed enim cum animam precibus videtur circumseptam, veritus robur ac vim, quam preces illi suppeditant (quæ animam magis alunt, quam cibus corpora) propius non audet accedere. S. CHRYS., h. LXVIII.

DIGNITAS. — Sicut ii aulici quibus liber ad Principem aut Regem accessus conceditur, beatissimi et summo honore affecti censentur; ita qui per orationem familiaris cum Deo loqui aut conversari consuevit, merito tanto beatorum honoratiorque æstimatur, quanto altior digniorque ipse est Deus. *Id.*, t. V, de *Fruct. orat.*

Sicut si rusticus aut mendicus in aulam



admitteretur, et cum ipsis primariis aulicis Regi servitium commune præstare sineretur, summam, nec immerito, dignitatem facilitatemque consecutus videretur; ita cum homo per orationem Angelis se sociare et cum iisdem Deum laudare permitteretur, merito ob tantam gratiam perbeatus, et magno honore affectus censeri debet.

**FACILITAS.** — Sicut neque charitatis vis, ita neque precationis efficacia, loci intervallo coercetur; sed quemadmodum illa longe conjunctos copulat, sic et hæc eos, qui qui procul absunt, admodum juvare potest. S. CHRYS., hom. XXI.

**JUCUNDITAS.** — Sicut si mendico daretur facilitas mendicandi per aliquam urbem, et is seiret, in quavis domo se liberalissimam stipem obtenturum, utique jucundissima ei mendicatio brevissimaque accederet; ita merito tempus orationis cum tanto majori alacritate lætitiæque impendere debemus, quanto certiores sumus, nos tum a Deo, tum a sanctis amplissima dona gratiasque obtenturos.

Sicut viator sarcina gravatus, stando, et respirando, oneris et viae laborem imminuit ita homo per orationem laborem hujus vite levat. *Vita, PP.*, l. V, libell. 7, n. 20.

Sicut fabri ferrarii ut lacertis suis nonnihil parcant, ex industria subinde a candenti massa aberrant, obiter ac molli brachio incidem tundentes; ita a negotiis publicis orando respirandum, uti S. Martinus fecisse se dixit. L. Sulpit. Sever., in *Vita S. Martini*.

Sicut primi homines dicuntur glandes reliquisse, postquam frumenti usum invenerunt; ita anima nullo negotio respuit voluptates carnis, quando semel cœlestes per orationem degustavit. GRANAT., l. III, de *A. Or.* c. VIII.

Sicut Mater videns noxium cibum arripuisse infantem, ut illum relinquat, dulces ei cupedias offert; ita Deus cœlestes in oratione prægustare delicias facit hominem, ut terrestres et noxias dimittat. *Ibid.*

Sicut parentes, ægrotante filio, si forte somnum salutare cupit, observare studiose solent, ne ab aliquo domesticorum somnus talis strepitu intercідatur; ita cœlestis sponsus anima in illo quiescente, et per orationem obdormiente, diligenter curat, ne salutaris iste, ac vitalis somnus impediatur.

**PERSEVERANTIA.** — Sicut certaminis bra-

vium non assequitur, qui antequam metas attingit, deficit; sic orationis fructu privatur quisquis in illa non extiterit importunus. S. LAUR. JUST., c. IV, *Lign. Vit.*

**PRO ORATIONE DOMINICA.** — Sicut Breviarium compendiose in se includit, quidquid in tota Sacra Scriptura tam Veteris, quam Novi Testamenti continetur, imo multo plura scilicet sermones et homilias a SS. Patribus scriptas; ita dici posse videtur, quod increata et incarnata Sapientia, Verbum Patris abbreviatum, in hac oratione velut Breviario quodam gesserit, quidquid boni aut pulchri est in Sacris Litteris. TERTULL., l. I, de *Or.*, ap. MANS., *disc. xl.*

**MEDITATIO.** — Sicut chalybis affricu ignis copiose ex lapide exilit; ita dum mens discursu meditationeque quasi percutitur, ignis amoris divini, et desiderium perfectionis excitatur. S. CYRILL. ALEX., ap. *Rod.*, p. I, tr. v, c. XI.

Sicut sol non omnes, quos illuminat, etiam calefacit, sed eos tantum, quos ad calorem recipiendum bene dispositos advertit, ita meditatio multos quidem illuminat, non tamen perinde omnes ad operandum movet et excitat, sed eos dumtaxat, qui per generosam resolutionem se capaces faciunt. S. BERN., serm. II, *sup. Cant.*

Sicut stulle ageret, qui totum diem in transmittenda acu sine fine consumeret, nunquam vero fueret; ita non minus inepte agere censendus est, qui totum meditationis tempus in discursu insumit, nihil autem affectui tribuit. *Rona.*, l. c.

Sicut sol vapores et terra attollit, ex quibus pluvia gignitur; ita meditatio ex peccatis consideratis varios effectus producit, ut ex illis pluvia voluntaria lacrymarum oriatur. POLET., l. II, de *Officiis Relig.*, c. XXVIII.

Sicut infans ab uberibus matris pendens, modo in hanc, modo in alteram uberum partem gyrat se, papillamque ori tandiu inserit, donec optato lacte fruatur; ita idipsum per meditationem facere quemque convenit ut cœlestium consolationum lacte, dulcedine recreari mereatur. S. CHRYS., ap. *Rodr.*, p. I, tr. v, c. XI.

#### MOTIVA.

**NECESSITAS.** — Nam non propter hoc oramus, inquit D. Thomas, ut divinum disposi-

tionem immutemus, sed ut impetremus, quod Deus disposuit per orationes esse implendum. S. THOM., II, 2, q. 83, art. 2. Non enim, teste D. Gregorio, obtineri possunt, quæ prædestinata non fuerunt, sed ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. S. GREG., l. I, *Dial.*, c. VIII.

**UTILITAS.** — Quæ quidem multiplex est: 1. *Ad vitia extirpanda:* » Nam teste S. CHRYS., impossibile est hominem congruo precantem studio, Deoque continuo supplicante, unquam peccare. S. CHRYS., hom. LXXIX, ad *Popul. Antioch.* Hinc S. Climacus orationem vocat speculum perfectionis, et curiam ac judicium, et tribunal Domini ante futurum tribunal, plagis nostris adhaerens medicinam: quemadmodum enim obscurum juxta clarum, et curvum juxta rectum positum, magis elucescit; sic anima posita juxta præsentiam Dei, quæ lux est, et regula omnium rerum, confestim omnes defectus conspicit, et remedia petit ab eo, qui uti caput est omnis rectitudinis, et pulchritudinis, sic remedium est contra omnes miseriae et calamitates. 2. *Ad virtutes comparandas.* Est enim inter virtutes et orationem reciproca quædam et inseparabilis conjunctio, ut Abbas Isaac apud Cassianum loquitur; nam sicut ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum, ita nisi hujus culmine omnia fuerint colligata, nullo modo firma poterunt vel stabilia perdurare. CASSIAN., col., l. IX, c. I. Hinc S. Climacus vocat orationem Matrem et Reginam, et cibum, et fontem virtutum, et gratiarum Ministrum, et profectum invisibilem. S. CLIM., *grad.* 28. Id quod ipse etiam Deus S. Catharinæ Senensi confirmavit, dicens: Noveris, filia charissima, quod in oratione humili, continua et fideli, cum vera perseverantia, lucratum anima perfectionem et omnem virtutem. 3. *Ad lucrum spirituale meritorum augendum;* » Nam, teste S. Bonaventura, quacumque hora lucratum homo oratione devota plus quam valeat totum mundum: « Firma gippe est Servatoris promissio: Omnia quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis. » S. BON., de *Præf. Vit.*, c. v. Quod confirmans S. Chrysostomus: « Oratio, inquit, thesaurus perpetuus, divitiæ inexhaustæ, portus quietus, occasio tranquillitatis, parens, fons et radix

bonorum omnium, et innumerabilium. » S. CHRYS., ho. v, de *incompr. Dei.* Quibus ultimis verbis aliud quoddam nobis insinuat potentissimum motivum, ad imprimendam nobis firmiter orationis necessitatem: « utpote per quam omnia bona recipimus, cunctaque mala declinamus: » Unde S. Bonaventura ait: « In hoc innotuit oratio multum nobis amanda, quia per ipsam impetratur obtentio omnis boni et amotio omnis mali. » Quapropter citatus S. Chrysostomus merito monet: « Vitam nostram in precibus, Deique cultu traducamus, atque in ea re vitam, valetudinem, divitias, bonorum finem positum esse censeamus. » *Ibid.*, t. I, hom. LXXVII, 4. « Ad dæmonis insidias evitandas. » Nam, ut S. Chrysostomus ait, si dæmones nos conspexerint deprecatione munitos, illico resiliunt, non aliter ac prædones, ac facinorosi, ubi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. S. CHRYS., l. I, de *Or. Deo.* Quod ipsum etiam S. Bernardus confirmat, dicens: « Oratio frequens, diaboli jacula submonet. Oratio quotidiana diaboli tela exsuperat: Oratio est prima virtus adversus tentationum incursus: Oratio superat tentamenta inimicorum; vincit dæmones, superat immundos spiritus, per Orationem vincuntur dæmonia, Oratio dæmonibus et omnibus malis prævalet. » S. BERN., s. LIX, de *Mod. ben. viv.* Et S. Laurentius Justinianus inquiens: « Nihil profecto sic terret Leviathan, sicut orationum crebra instantia, atque deprecantium devota suspiria: æque orationis, quam gehennæ crematur incendio. » S. LAUR. JUST., c. v, de *Inter. Constit.* 5. « Ad veram devotionem et appetitum rerum spiritualium obtinendum. » Quod nullo efficaciori argumento, ait Granatensis quam ipsa experientia probari potest, quæ quisque experiri potest, se, si una alterave nocte sedeat ante altare, et cum Deo conversetur, totum alium quam accesserat, discessurum.

**EQUITAS.** — Quid enim æquius, quam ut homo ex se pauperrimus a Patre suo celesti panem alique necessaria petat? quid æquius quam ut artem, quam per totam æternitatem exerciturus est, in hac vita perfecte addiscere et exercere incipiat? Nam ut bene advertit S. Augustinus, meditatio præsentis vite nostræ in laude Dei esse debet, quia exultatio sempiterna futura nostræ vite laus Dei erit. Et nemo potest idoneus fieri



futura, qui se ad illam modo non exercuerit. S. AUG., in *Ps. cxlviii*. Bellovacensis hunc in finem exemplum omnium creaturarum ob oculos ponit, dicens : Debent nos vere ad orationem exempla rerum sensibilibus. Terra enim nimis sicca, quasi petens a Deo pluviam, hiat superius diversis scissuris, quasi innuens rationali creaturæ, ut os aperiat ad superna fluentia obtinenda, dicens Patri pluviarum : « Anima mea, sicut terra sine aqua, tibi. Item terræ nascentia, ut herbarum, et arborum et earum flores, quot habent folia, tot linguas suo Creatori erigunt, quasi augeri et perfici postulant, et quasi clamant : « Imperfectum nostrum viderunt oculi tui, Domine. » Item creaturæ irrationales, ut iumenta et aves; bos enim indigens pabulo aut potu, caput sursum, quasi ad Deum elevans, et quasi sibi quod necessarium est, a Deo postulans mugit, asinus rudit, equus hinnit : JOEL., 1, 18 : « Ingentium animal, mugierunt greges armentum, quia non sunt pascea eis. JOB., xii, 7. « Interroga iumenta, et docebunt te, et volatilia cœli et indicabunt tibi : loquere terræ, etc. » Item quedam volucres, ut columba, et turture quod desiderant, gemendo indicant : « Sicut pullus hirundinis sic clamabo. » ISAIÆ, xxxviii, 14. *Spec. Mor.*, p. X, l. VIII.

DIGNITAS. — Quid enim magis honorificum quam intimum cum Deo, Summo Domino, cœlique Principibus familiaritatem habere.

JUCUNDITAS. — Quid enim jucundius, quam mendicum posse a Deo Coelibusque, quodcumque placuerit, non mendicare solum stipem liberalissimam, sed etiam expectare ægrum posse medico peritissimo miserias suas secundum voluntatem exponere, præsentisque remedium expectare? reum posse cum iudice suo loqui pro libitu et veniam impetrare? discipulum indoctum cum sapientissimo Magistro? sponsam cum dilectissimo sponso ad votum colloqui posse.

FACILITAS. — Nam si hominem rogare volueris, inquit S. Chrysostomus, interrogas, quid facit? et dicit tibi, prandet, cenat, dormit, cum amicis agit, non vacat : aut certe Minister respondere tibi non dignabitur, ad Deum autem nihil horum opus est, sed ubicumque fueris, aut invocaveris, audit te. Non enim quaeritur locus, sed devotio mentis. S. CHRYS., hom. xvii, de *Muliere Chanaan*. Sed neque assistit miles, qui expellat; non

satelles, qui dicat : non est nunc tempus accedendi. Nec opus est janitoribus, qui te introducant, non dispensatoribus, procuratoribus, custodibus, aut amicis. Sed quando ipse per te ipsum accesseris, et tunc maxime exaudiet. Adde, quod ipse quoque modus sit admodum facilis, quid enim facilis mendico, quam suas miserias aperire et exaggerare? quid facilis læso, quam de injuriis iudicem interpellare? quid facilis amanti, quam in amati laudes se effundere, aut alios amantibus proprios affectus elicere? IDEM., in *Ps. iv*. Sed et ipsa quoque impetratio ex parte Dei non est difficilis, cum, ut ait S. Chrysostomus, quemadmodum parturiens cupit emitti fetum, ita Deus cupiat misericordiam effundere, et ut S. Birgitta revelavit, paratior sit dare, quam aliquis petere. S. CHRYS., *orat. de B. Philog.* Nec enim, teste S. Cypriano, ullis finibus premitur, nec coercentibus claustris intra certa metarum spatia frænatur, manat jugiter exuberat affluenter; nostrum tantum sileat pectus, et pateat. Quantum illic fidei asserimus tantum gratiæ haurimus. Et ut sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat, ita se Spiritus cœlestis infundit. S. CYPRIAN., l. II, ep. ii, de *Donat*. Imo, quod admirabilis est, creaturam suam (quemadmodum B. Mariæ Magdalene de Pazzi revelavit) tanquam benefactricem recognoscit, dum recipit illa dona, quæ illi donat, quamvis ille beneficium conferat, et illa recipiat, quæ ex se est mendica, et ab eo ditata. Adeoque complacet sibi Deus, dum benefacit, ut pro beneficio in se collato æstimet, dum ejus beneficia et dona a nobis recipiuntur. Hinc recte S. Augustinus parabolam de amico ob importunitatem pulsantis panes dante discurrens ait : « Ille qui volebat dare, quod petebatur, fecit, quia alter in petendo non deficit, quanto magis dabit Deus bonus, qui hortatur nos, ut petamus : cui discipuli, si non petamus? » S. AUG., ser. v, de *Ver. Dom.*

#### MEDIA.

« Præsentia Dei, Angelorum aliorumque cœlitum cogitata : » uti suavitatis Eusebius Emissenus his verbis : Intueamur, qua disciplina cordis et corporis nos oportet in conspectu Angelorum psallere et orare. Ne vacui dimissi vacuos dimittant nos, qui

venerant ut vota deferent : qui venerant amici, quim imo sponsus ipse, qui stat ad ostium, et pulsat, si nulla ei digna devotio de intus respondens aperiat, recederet conquerens, et dicens : Attendi, auscultavi : nemo, quod bonum est, loquitur. EUSEB., s. 1, ad *Excit. devot.* Idem medium etiam V. Beda suavitatis, dum quæsitus, quomodo quis obtinere possit, ut sensus in oratione non vegetet? Respondit : Si certus sit, se ante oculos Domini assistere. VEN., BED., l. *Hexam.*, l. IX. Idem S. Bernardus suavitatis sequentibus verbis : Veniens ad Ecclesiam pone manum tuam super os tuum, et dic : Expectate hic cogitationes pessimæ, intentiones et affectus cordis, et appetitus carnis : tu autem anima mea intra in gaudium Domini tui, et videas voluntatem Domini, et visites templum Sanctum ejus. S. BERN., ap. *Rodr.*, p. I, tr. v, c. xxxi. Idem. Hujus mediæ efficaciam expertus est Monachus ille, qui cum immotus et totus ardens in templo oraret, rogatus, quod medium adhiberet? Respondit, se ad initium orationis cor suum colligere, et cogitationibus suis dicere : Venite adoremus, et precidamus, et plorems ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster. Sed et S. Chrysostomus hoc medium commendat, dicens : Imaginare tibi, quando ad orationem pergis, intrare te curiam illam beatam, in qua Rex gloriæ sedet, stellis coronatus, innumerabilibusque Angelis et sanctis ipsi ministrantibus circumdatus, qui in te unum omnes oculos mentemque convertant, ut dicere orantes possint : Spectaculum facti sumus mundo, Angelis et hominibus. S. CHRYS., in *Ps. xviii*. Nullus ergo fit Citharædus, nullus Lyricen, qui ita se exerceat scenam ingressurus, timens, ne aliquid insuave et inconcinnum canat, ut nos ingressuri theatrum Angelorum, non usurpemus modo officium, quorum sortimur consortium. IDEM., in *Ps. iv*. S. BERN., s. xii, in *Cant.*

« Vita bona : » Multum enim, teste V. Beda, jurat orationis puritatem, si in omni loco vel tempore nos ab actibus temperemur illicitis; VEN., BED., de *Templo Salom.* quidquid enim ante orationis horam (inquit Cassianus) anima nostra conceperit, necesse est, ut orantibus nobis per ingestionem recordationis recurat. Quamobrem quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus; ex

præcedente enim stat mens atque animus in supplicatione formatur. Et ideo quidquid orantes nolumus, ut nobis irrepant, ante orationem de abditis pectoris nostri extrudere studeamus. CASSIAN., coll. 9, c. iii.

« Studiosa præparatio : » juxta Siracidis monitum : Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum. DECL., xi, v. 23. Hinc Numæ consilium : Adoratori sedeant : quod observavit S. David sedens coram Domino : II REG., vii, 39, qui et fructum exposuit, dum dixit : Præparationem cordis eorum audivit auris tua, Domine. PS., x, v. 17, ex. c. xxiv, 2 et 16. In quo autem præparatio ista consistat, indicasse videtur Deus, dum Moysen secum collocaturum « solum, » sine sociis montem ascendere jussit, et ubi id fecit, nubes sex diebus textit; nam, ut sapienter advertit S. Gregorius, intentioni animæ si exterior evagatio claudatur, interior recessus aperitur : et qui extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eo se supra se intendere pro profectum potest, quia et in altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos distendi prohibetur. S. GREG., in *Moral.* Hinc S. Bernardus oraturus dicebat : Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, et omnia interiora mea, venite ascendamus in montem, ubi Dominus videt, vel videtur. Curæ, sollicitudines, anxietates, pœnæ, servitutes, expectate me hic cum asino (corpore isto) donec ego cum puero, intelligentia scilicet et oratione usque illuc propterantes revertamur ad vos : revertemur enim, et heu! revertemur quam cito. S. BERN., in *Medit.* Hanc ob causam Machetes senex apud Cassianum, ejusque exemplum secutus S. Ignatius fasciculum litterarum sibi orationis tempore oblatum, in ignem non legentes projecerunt. CASSI., l. V, *Inst.*, c. xxxii. RIB., l. V, c. 1, vit.

« Sensuum exteriorum, et præcipue oculorum custodia : » hoc enim Christus suavitatis, dum clauso ostio cubiculi orare nos voluit. MATT., vi, 6. Et prisci Patres dum amantem orationis, caecum, et surdum fieri volebant. DREX., in *Rhet. eccl.*, l. I, c. v, § 2. Quid est autem claudere ostium, inquit S. Aug.? hoc ostium tanquam duas habet valvas, cupiditatis, et timoris. Aut cupis aliquid terrenum, et hac intrat. Timoris ergo et cupiditatis janua claudere contra diabolum, aperi ad Christum. Quomodo



ipsas valvas aperis ad Christum? cupiendo regnum celorum, timendo ignem gehennarum. Per cupiditatem sæculi diabolus intrat, per desiderium vitæ æternæ Christus intrat. Per timorem pœnarum temporalium diabolus intrat. S. AUG., in Ps. cxli. Recte ergo et breviter S. Bernardus dixit; iuge silentium, et ab omni stepitu sæcularium perpetua quies cogit cœlestia meditari. S. BERN., in *Epist.*

« Curarum sepositio, et affectuum inordinatorum derelictio: » nam et hæc duo inter potiora, impedimenta orationis S. Bernardus posuit, « curam » scilicet « pungentem et affectum vigentem; » id quod super illa verba Isaia: « Et vocaberis Sabbatum delicatum, discurrens Granatensis, pulchre ostendit, dum ait: « Dictum mirum est, quam arduum, ac difficile sit piis etiam hominibus, mentem a terrenis ad cœlestia perfecte elevare; non enim a peccatis solum vel levissimis, quæ fervorem charitatis tepescant; sed a multis etiam aliis, quæ, quamvis peccata non sint, mentem tamen distrahant, et ab interna illa vocatione, vel advocat, vel impediunt, abstinendum est. Ideo non mirum, si Sabbatum delicatum a nobis exigat, quod videlicet, « delicate, » hoc est, non segniter aut oscitant, sed magna cura et attentione, quod in eo percipitur, agendum sit. » LED. GRANATENS., in *Sylva loc. com. V. præparat ad orat.*

« Temporis apti electio: » ita S. Bernardus insinuavit dicens: « Non modo locum, sed et tempus observare oportet eum, qui sibi orare voluerit. Tempus feriatum commodius aptiusque, maxime autem, cum profundum nocturnus sopor silentium indicat, tunc plane liberior puriorque exit oratio. » S. BERN., s. LXXXVI, in *Cant.* Hoc Christus observavit pernoctans in oratione. Hoc Isaïas de se ipso dicens: « Anima mea desideravit te in nocte. » Is., xx, v. 9. Hoc David: « Memor fui nocte nominis tui. » Ps. cxviii, 55. Hinc et alios hortatur: « In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum. » Ps. cxxxiii, l. c. Et merito; quam enim secure (inquit S. Bernardus) ascendit de nocte oratio, solo arbitrio Dei, sanctoque Angelo, qui illum superno altari suscipit presentandam! Quam serena et placida, nullo interturbata clamore vel strepitu! Quam denique munda et sincera, nulla respersa pulvere terrenæ solitudinis, nulla aspicientis laude seu

adulatione tentata! Tunc plantæ, inquit S. Chrysostomus, respirant, in nocte dico, tunc et anima maxime rorem, et plus illis suscipit; quæ per diem sol excussit hæc nocte refrigerantur. S. CHRYS., h. xlii, ad *pop.*

« Solitudinem mentis procurare; » quid enim prodest solitudo corporis, inquit S. Gregorius, si solitudo defuerit mentis? qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanae, terrenorum desideriorum cogitationibus se ingerit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, et tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe. Itaque bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, ut ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas, ab oculis mentis abigant manu gravitatis, et quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, ubi cum illo, exteriori cessante strepitu, per interna desideria silenter loquatur. S. GREG., lib. xxx, *Mor.*, c. xli.

« Exemplum servorum mundanorum attendere; » uti S. Chrys. suavit dicens: Nam si Deus nostrum in orationibus toporem et negligentiam exquirat, et quod in ejus conspectu positi, et orantes, neque tantum ei præbemus honorem, quantum dominis servi, quantum ducibus milites, quantum amicis amici. S. CHRYS., h. lxxxix, ad *Pop.*

« Considerare naturam et præstantiam orationis: » uti S. Anselmus monet, dum ait: Oratio est quasi quoddam familiare colloquium cum Deo; et subdit: Orationis tempore Christianus homo cum Deo loquitur: consideret igitur fidelis anima, quam reverenter, humiliter, et attente debet loqui cum summo Principe: quam timorate, cum summo Iudice: quam familiariter cum amico: quam dulciter cum sponso dulcissimo. Tota igitur attentione et toto affectu, et mentis adnusu loquatur homo cum Deo, sine interruptione et sine mentis evagatione. S. ANS. *ap Bellow.*, l. c.

« Assiduitas orationis: » nam, ut bene advertit S. Bonaventura, quanto frequentius quis orat, tanto fiet oratio et delecta-

bilior et efficacior; et quanto rarius, tanto insipidior et tædiosior. S. BONAV., lib. II, de *prof.*, c. v.

## ASCETICA.

ORATIO IN GENERE. — De hac sequentia præcipue Asceta bene cognoscere, aliosque docere debet. « Quid et quanti facienda sit oratio: » namque quod sit reverens et amica conversatio cum Deo. Et ideo tum ob summam dignitatem, tum ob necessitatem et utilitatem suam prorsus singularem maximi facienda, cum vere juxta dictum S. Augustini, recte norit vivere qui recte novit orare.

« Nosse debet triplicem fidei articulum velut fundamentum, ad orationem cum debita alacritate et dispositione faciendam: » quorum primus est, quod oratio nostra vere cognoscatur a Deo, id quod Deus ipse per Isaïam Ezechia: indicari jussit dicens: Vade, et dic Ezechia: Hæc dicit Dominus Deus David Patris tui: Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas. Is., c. xxxviii, 5. Alter est, quod nihil dare velit, nisi per orationem, quemadmodum ipse iterum indicavit dicens: « Petite et accipietis: » JOAN., xviii, 24. et S. Thomas cum communi sensu Theologorum tradit. S. THOM., 2, 2, h. lxxxiii, a. ii. Tertius, quod oratio semper fructuosa sit futura, si debito modo fiat; ita enim ipse promisit: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; eo scilicet modo, quem S. Bernardus indicavit, dum dixit: Unum ex duobus indubitanter sperare possumus; quoniam aut dabit, quod petimus; aut quod novit utilis. JOAN., xvi, 23.

« Nosse debet, quæ de præparatione ad orationem scienda sunt, » iterumque ad tria capita revocari possunt. 1. Omnino necessariam esse præparationem juxta illud Siracidis: Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum. ECCL., xviii, 2. Diligentia hujus præparationis plerumque successum orationis respondere, juxta illud Davidis: Præparationem cordis eorum audivit auris tua. Ps. x, v. 17. 3. Duplicem esse præparationem adhibendam, remotam scilicet, et proximam. Et remotam quidem in tribus

consistere, videlicet « ardenti desiderio orandi, » quia desiderium pauperum exaudivit Dominus, ut David. loc. cit. ait: « Curarum, et affectuum impertinentium remotionem, » juxta consilium Thomæ Kempensis. Oportet te esse nudum (id est, ut ibidem explicat, sine alienius creature implica verbo) et purum cor gerere, si vis vacare et videre, quam suavis sit Dominus. TH. KEM., l. II, c. viii, § 5. Vere enim, ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum, inquit Christus. MATT., vi, 21. « Amicitia cum Deo et proximo restauratione; » nam, ut recte S. Clemens advertit, cum precatio sit conversatio et colloctio cum Deo, inter familiares et amicos fieri debet, atque adeo supponit deletam offensam. Fixum quippe est, quia peccatores Deus non audit. Hinc et cum proximo amicitia, si quidem dissoluta sit, restauranda est; ita enim Christus clare indicavit, dum dixit: « Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum. MATT., v, 23. Hinc recte S. Augustinus infert: « Si non oraveritis, spem non habebitis; si aliter, quam Magister docuerit, oraveritis, non exaudiemini; aut si in oratione mentis fueritis, non impetrabitis. » Ergo et orandum, et verum dicendum est: et sic orandum est, quomodo ille voluit. Velis, nolis, quotidie dicturus es: dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Vis securus dicere? fac, quod dicis. Proximam vero præparationem pariter in tribus consistere, nempe in « firmo proposito » distractiones et causas earum cavendi ad exemplum Christi discipulis dicentis: Sedete hic, donec vadam illuc, et orem; et ipse avulsus est ab eis. MATT. xxvi, 26. « divina gratiæ petitione, » ad exemplum S. Matris Ecclesiæ, singulis horis Canonice versum illud: Deus in adiutorium etc. præmittentis; « presentia Dei imaginatione: » ita enim iterum Ecclesiæ nos monet, dum in Laudibus feriæ quinta nobis occidit: Speculator adstat desuper, qui nos diebus omnibus actusque nostros prospicit a luce prima in vespertum.

« Nosse debet, quæ conditiones in ipsa orationis serie sint observandæ, » nempe tres præcipue. 1. « Reverentia » tam exterior (quæ in humil ac decenti corporis com-



positione consistit) quam interior debitam attentionem ad ea, quæ oramus, requirens; vere enim magnam injuriam Deo facio, teste S. Bernardo, cum illum precor ut meam precem audiat, quam ego, qui fundo, non audio. S. BERN., l. de An. c. viii. 2. « Fiducia firma: » juxta ipsius Servatoris promissum: Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient vobis. MATT., xi, 24. Hinc commune Theologorum dogma est, mensuram credendi esse mensuram impetrandi, juxta quam Sanctus David dixit: « Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te. Ps. xxxii, 22. » Perseverantia, » quia teste sancto Gregorio, virtutis pondus oratio non habet, quam nequam perseverantia continuis amoris tenet. Veraciter orare est amoris in compunctione gemitus et non composita verba resonare. S. GREG., in Mor. Quod etiam confirmat sanctus Bonaventura dicens: « Non propterea a prece cessandum est, quia Deus probat hoc orantis constantiam, expurgat humiliati conscientiam, et remunerat afflicti patientiam. » S. BON., t. VII. l. II, de Prof. rel. c. lxxvii. Unde et Gilbertus Abbas, perlinax, inquit oratio pertingit ad finem: « etsi ab initio sicca et velut saxea videbatur, oleum tamen elicies gratiarum de hoc lapide durissimo tantum si perseveres, si te longior mora non dissolvat, si non dilatione tua vota lentescant; molesta plane amanti dilatio, sed solent protracta desideria amplius crescere. » GULI. AB., viii, t. in Cant. Rationem vero hujus ulliorem reddit S. Bernardus, dum ait: « Ad Dei beneficentiam obtinendam, retinendam, et observandam necessaria sunt præsidia sedulæ et longanimis orationis. Ubi nota, quod præmittat perseverantiam, et longanimitatem, et postea ad alios transeat actus virtutum, quibus cum oratio conjungi debet, in qua tanta sit fides, ut speret anima, tanta devotio, ut Deum cogere videatur, tanta amor, ut omnia, qua petit in oratione se sentiat obtinere, tam benigna humilitas, ut in omnibus, non suam, sed Dei præoptet fieri voluntatem, habet cordis puritatem. » Cum quo consentiens sanctus Gregorius: Vult Deus orari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicitur: « Regnum Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud. » Quid hac rapina locupletius? bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur; proximus non læditur,

sed juvatur; peccatum minuitur, non multiplicatur. S. Ambrosius similiter ait: O beata violentia, quæ vim patientis bonitatem elicit, et utilitatem tribuit inferendi! quisquis enim violentior Christo fuerit, religiosis habitabit a Christo. S. GREG., in Ps. vi, Pam.

« Nosse debet causas et remedia distractionum in oratione; » quarum quidem tres præcipue assignat Rodriguez. Prima est: « Propria nostra incuria, » quam in eo admittimus, quod rerum vanarum et affectionum terrenarum species et simulacra amandare ex corde non studeamus; qualem enim frumentum molendino affundimus, hoc molit et conterit lapis; qualem liquorem vasi infundimus, hunc redolet: quales herbas plantavimus in corde, tales seminabit. Hinc merito antiqui Patres monebant: Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationes tempus preparare debemus: ex præcedenti enim statu mens atque animus in supplicatione formatur. Altera causa est « dæmonis conatus » ad orationem impediendam, veluti aquæductum, per quem in corda nostra celestes gratiæ derivantur, ad quem proinde conatum elidendum tanto acriori studio ad orationem incumbendum, atque in ea persistendum est, quanto ei inferiorem esse dæmonem novimus. Tertia causa est « Humana debilitas et infirmitas » per peccatum adeo vitata, ut, teste D. Bernardo, vix semel Orationem Dominicam sine distractione recitare possimus. Contra quam potissimum humiliatio et vilipensio sui ex his ipsis distractionibus desumpta serviet. P. I, tr. v, c. xxxi.

« Nosse debet potiores tentationes, quæ circa hoc saluberrimum orationis exercitium occurrere solent, modumque solidum eisdem occurrendi: » quarum quidem potiores hæc ferre esse solent. Prima est « consolatio-nis defectus, » pro qua vincenda ostendat. 1. Veram devotionem non in sensibili sapore, sed in bona et prompta voluntate Deo serviendi consistere. 2. Revocet in memoriam, uti nihil in orbe ita neque has desolationes sine voluntate Dei obvenisse, utpote qui eas vel ad negligentiam nostram in præparatione aut alio genere commissam, castigandam, vel ad humilitatem conservandam, vel virtutem ac patientiam probandam, vel majorem suam et nostram gloriam promovandam immisit; unde oportet dicere cum pio Asceta: « Adesto mihi

Domine Jesu, in omni loco et tempore. Hæc mihi sit consolatio, velle carere omni solatio. Etsi tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas et justa probatio pro summo solatio. LUC., iii, de Im. c. xvi, § 2. 3. « Jubeat legere ipsum ejusdem auctoris caput nonum ex secundo libro, qui plenam de modo se in simili casu gerendi instructione inveniet; speciatim vero illa verba jubeat bene ponderare: Numquam inveni aliquem tam religiosum et devotum, qui non interdum habuerit gratiæ subtractionem, aut non senserit fervoris diminutionem; non enim est dignus alta Dei contemplatione, qui pro Deo non est exercitatus aliqua tribulatione. Solet enim sequentis consolationis tentatio præcedens esse signum. » LUC., iii, c. vi § 3. Secunda tentatio est, « Mentis instabilitas, et distractionum multitudo: » circa quam salubriter iterum illi sequentem Thomæ Kempensis doctrinam in memoriam revocet: « Nec est illusio, quod aliquando in coelum subito raperis, et statim ad solitas ineptias cordis reverteris. Illas enim invile magis paleris, quam agis, et quando displicent, et reniteris, meritum est, et non perditio. Non ergo te conturbent alienæ phantasiæ de quæcumque materia ingeste. Forte serva propositum, et intentionem rectam ad Deum. Invoca divinam gratiam, abige cum Abraham aves sacrificium orationis consumere volentes; et si filium orationis abruptum, connecte iterum cum priori parte. Nec dubita pergratum, imo gratiorem fore hunc conatum, quam si absque omni distractione orasses. » Tertia est: « Defectus temporis ad orandum ob varia negotia: » cui occurrat ostendendo. 1. Non requiri longas orationes, sed breves sufficere, quas antiqui Patres frequenter, imo assidue surpassare dicuntur, ne illa vigilantè erecta intento per productiores moras evanescat. Ostendat 2. varios modos, quibus hunc defectum compensare possit, nempe vel per « Pia desideria, » nam, teste Galfardo, vir desideriorum vir orationum est; bene semper orat, qui bene semper optat sine intermissione; efficacius enim apud Deum vota, quam verba clamant. GALFARDUS, ap. Nier., asc. doct., t. X, doct., VIII, c. lxxiv. Sic, ut sanctus Anselmus testatur, orabat Moyses, cui tacenti Dominus dixit: Quid clamas ad me? clamabat enim corde, quamvis nihil diceret ore. Ita juge desiderium et incessabilis amor assidua est oratio Sanctorum.

S. ANS., in c. v, ep. 1 ad The. Aliter idem defectus per: « Bonam vitam, » legisque et obedientiæ accurratam impletionem compensatur, nam ita Siracides docuit dicens: « Qui conservat legem, multiplicat orationem: Sacrificium salutare est, attendere mandatis. Ecl. xxxv, 1 et 2. » Huic sapienter sanctus Augustinus ad stipulans dixit: « Vis semper laudare Deum? bene fac omnia, et laudasti Deum. » S. AUG., in Ps. cxxviii Denique potest, et per illum motum suppleri, cui quem vir quidam sancto Ignatio et sociis sarcinas portans adhibuisse dicitur, dum illis in hospitio orantibus, in angulo latens dixit: « Domine Deus, viri hi Sancti sunt, et ego jumentum ipsorum, quod ipsi volunt, et quærunt, hoc et ego. » Quia oratione altissima tandem et extraordinariæ orationis donum consecutus scribitur, uti fusius refert Rodriguez. Quarta tentatio est, quod nihil efficiant et impetrent sua oratione: cui occurrat ostendendo causas, ob quas id eveniat. 1. Quia opponunt nubem peccati, ne transeat oratio et manus sanguine Christi pollutas ad Deum extendunt: hinc quia is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur, ut recte dixit sanctus Gregorius (vide fusius num. 10.) S. GREG., in Past. 2. Quia petunt male, hinc audire coguntur illud sancti Jacobi: Petitis, ut non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. JAC., iv, 3. Juste ergo non exaudiuntur ad votum, ut exaudiantur ad sanitem, quemadmodum loquitur sanctus Isidorus, qui et addit: Multi orantes non exaudiuntur, quia Deus meliora illis providendo, quam petunt, reservat; sicut contingere solet parvulis, qui, ne in schola vapulent, Deum exorant; sed non datur illis postulationis effectus, quia impeditur auditio ad profectum. S. ISIDOR., l. III, de Somno bono 3. Quia dona sua tardius dando commendat; non negat, ut testatur S. Augustinus: Desiderata diu, dulcius obtinentur: cito autem data vilesunt. Pete, quære, insta: petendo et quærendo crescas, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult cito dare, ut et tu dicas magna magis desiderare. S. 1 de Verb. Dom.

« Nosse debet illusiones et fraudes dæmonis, quibus hoc saluberrimum orationis exercitium, aut fructum certe illius impedire conatur: » Quorum plurimas enumerat Ludovicus Granatensis, ex quibus tamen



hæ fere sunt potiores et usitiores. 1. Quod impellat ad cæremoniae sacras et situm corporis decentem in oratione contemnendas, quasi incipientibus magis, quam perfectis convenientes. Cui occurrit ostendendo cæremoniæ istarum utilitatem, utpote quæ perinde conducunt ad virtutes conservandas et acquirendas, sicut accidentia ad substantiæ productionem et conservationem, et præterea faciunt, ut homo non secundum animam dumtaxat, sed corpus etiam servitio Creatoris impendatur, sicut perfectum fiat holocaustum, quæ ratio sane persuadet, ab ipsis etiam perfectis tanto accuratius esse observandas, quanto magis ab iis, quam ab imperfectis ejusmodi holocaustum expectatur. 2. Quod instiget ad Magistros spirituales contemnendos, eo quod per orationem ab ipso Deo velut nobiliori Magistro instituantur: cui occurrit ostendendo, quam constanter Deus hunc morem tenuerit, ut homines pro instructione ad homines miserit, ita ut ipsum sanctum Paulum ad sanctum Ananiam pro simili instructione ablegarit; atque ideo multos, qui ejusmodi morem et humilitatem neglexerunt, et dono orationis privavit, et gravissime errare permiserit, uti ex Hæresiarcharum aliorumque virorum spiritualium ruina patet. 3. Quod semini bono piorum desideriorum, etiam zizania malorum immisceat, sicut in Angelum lucis se transformet: cui occurrendum commendando consilium S. Joannis: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. Quomodo autem probandi sint, mox ostendit, dum ait: In hoc cognoscitur Spiritus Dei: Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse (ejusque exemplo se conformare studet) ex Deo est: et omnis spiritus, qui solvit Jesum Christum, ex Deo non est. 4. Quod inducat eos, qui orationis dono præditi sunt, ad alios contemnendos, utpote simili gratia non donatos: cui occurrendum ostendendo, sicut a circuli peripheria variæ lineæ tendunt ad centrum; ita varias quoque in hoc orbe vias esse ad Deum, qui centrum nostrum est, perveniendi, unde insipienter alii contemnerentur, qui per alias vias et virtutes, quam per orationem ad Deum tendunt. 5. Quod suadeat, ut vel revelationem petant a Deo, vel certe gratias a Deo oratione acceptas obvis quibusque, puerorum more, manifestent: cui occurrendum, ostendendo, quod, cum ejusmodi revelationes sint extra-

ordinarius favor Dei, qui nec magis sanctum facit, si adsit: nec minus sanctum, si absit, merito non petendæ a Deo, sed potius, si dentur, cum magna reverentia et humilitate acceptandæ sunt, et quantum fieri potest, occultandæ, exemplo Christi sæpius prohibentis, ne miracula a se patra manifestarent. Hinc S. Bernardus recte monet illam Prophetæ sententiam: Secretum meum mihi: in parietibus cubiculi, aut certe in ipso corde esse scribendam, semperque ob oculos habendam. 6. Quod incitet ad devotionis exercitium tanti æstimandum, ut præ illo aliarum virtutum, obediendiæ præsertim, et mortificationis studium negligatur; qui error, teste Granatensi, est unus ex primariis, qui in hac vita solet occurrere; immo et ex universalioribus, quia in omnibus, et per omnia destruit vitam spirituales, quæ est diviæ legis adimpletio, ad quam oratio, velut medium ordinatur, quem tamen ordinem hic error pervertit, dum ex medio finem, et ex sine medium facit. Quare ut huic illusioni solide occurratur, ante omnia verba Christi præ oculis habenda sunt: Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam, et sequatur me. Quare ita expectat, et recipiat donum orationis, ut tamen semper meminerit, sibi non tantum in colle thuris, sed etiam myrrhæ commorandum esse. Sequatur item morem viatoris, qui ita intrat, hospitium et jentaculum sumit, ut tamen simul etiam sollicitus sit de eo, quod restat, itinere peragendo: similiter ergo et ipse ita fruatur diviæ dulcedine inter orandum hausta, ut tamen se resolvat, ac paratus sit, ad reliquum vitæ iter par asperas vias tribulationum, amore illius, a quo tam suaviter recreatur, sustinendarum conficiendum. L. II, c. XLII, de Orat.

« Nosse debet potiores circumstantias, vel industrias, quibus oratio Deo gratior efficaciorque fieri solet; » quales quidem sequentes esse videntur. 1. Si preces cum Christi orationibus, per humilem utrarumque oblationem æterno Patri factam, uniantur; sic enim per orationem Christi et teguntur imperfectiones nostræ orationis, et quasi una oratio facta non poterunt non placere æterno Patri. 2. Si cum aliis hominibus jungantur, multique simul orant; nam, ut recte sanctus Ambrosius dixit, multi minimi, dum congregantur unanimes, sunt magni, et multorum preces impossibile est non audi-

ri; S. AMBR., l. de *Pæn.*, quia, teste Tertuliano, coimus in cœtum et Congregationem, ut ad Deum quasi facta manu precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. TERTULL. *Apol.*, c. XXXIX. Et, ut sanctus Chrysostomus ait: Deus frequenter reveretur multitudinem unanimum et consentientem in precando, ut velut pudore victus, non audeat illis negare. S. CHRYS., hom. in *Ep. ad Cor.* Hinc pulchre alibi: Vis, inquit, discere, quanta sit orationis in Ecclesia factæ potentia? vincit erat Petrus, multisque catenis circumdatus; oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo, et statim eum a carcere liberavit. Quid hæc igitur oratione sit potentius, quæ columnam et Ecclesiæ turrim adjuvit? ut intelligas primum eam pollere orationem, quæ cum sensu agit, et jugi concordia plurimorum hominum. IDEM, hom., c. XCIX ad *Pop.* 3. Si ex vero et humili corde procedat; nam, teste Judith, et humilium et mansuetorum semper ei placuit deprecatio, et sacrificium Deo gratissimum est spiritus contribulatus, et cor contritum et humiliatum non despiciet. JUDITH., ix, 16, Ps. L, 19. 4. Si attenda sit; quam attentionem qualis esse debeat, Sanctus Bernardus sequentibus verbis indicavit: Triplex est in oratione attentio procuranda: prima ad verbum: secunda ad sensum: tertia ad objectum. Prima attentio procuranda est ad verbum, id est, vocalem prolationem, et formationem verborum, scilicet ne in eis homo aliquo modo erret, maxime corrupte profertendo sanctissima verba Scripture Sacre. Secunda attentio debet esse ad verborum sensum, quæ in oratione proferimus. Tertia attentio debet esse ad objectum, id est, ad Deum, quem oramus, et etiam ad rem, ob quam oramus. Bona quidem est attentio prima: melior est secunda: tertia optima reputatur. S. BERN. ap. MANSI, *dis.* XXVIII, n. 1.

« Nosse debet, diabolum nullo tempore magisquam tempore orationis, nobis insidiari: » nam ut S. Chrysostomus notat, cum sciat, quod eo tempore obtinere possumus remissionem peccatorum, optans nos in ipso portu orationis impingere, tempus illud arditur, mentemque ab intellectu verborum avertit, quo auctiores damno, quam lucro, ex precibus abeamus. S. CHRYS., in *Ps.* CXLV.

« Nosse debet causas, ob quas preces nos-

træ non exaudiuntur: » nimirum primo, « quia nubem peccati opponimus; » nam ut recte notavit Philippus Abbas: « Non est speciosa laus in ore peccatoris, dum inspector intimus non labrum exterius, sed internam attendit conscientiam: PHIL. ABB., de *Silent.*, c. IX. « Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat; neque aggravata est manus ejus, ut non exaudiat, ut Isaias inquit, sed iniquitates vestrae dividerunt inter vos, et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret; manus enim vestrae pollute sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate; non est, qui invocet justitiam. » Cujus geninam rationem assignat S. Clemens Alexandrinus dicens: Precatio, cum Deo conversatio, et collocutio est, proinde inter familiares et amicos fieri debet, et supponere deletam offensam. S. CLEM., VII, *Strom.* Unde recte S. Gregorius concludit: Si id, quod præcipit, facimus, id quod petimus, obtinebimus; valde namque apud Deum utraque hæc sibi necessario congruat, ut et oratione operatio, et operatione fulciatur oratio; paulo post vero in hæc verba concludit: Juxta ergo Joannis vocem, tunc cor fiducia in oratione accipit, cum sibi vitæ pravitas nulla contradicit. S. GREG., l. XVIII, *Mor.*, c. 1. Hinc admodum bene subjungit Rupertus Abbas: Cum igitur invocamus, et Dominus non exaudit dum clamamus, et non dicit: Ecce adsom, scire debemus Sanctis Angelis invocationes atque clamores nostro Deo offerentibus, resistere, et contradicere malos, habentes in manibus accusationes, et jacula quæ, sunt peccata nostra. RUP. ABB., l. IX, de *Vict. verb. Dei*, c. VIII. Secundo: « quia sic expedit ad profectum nostrum, » uti præclare S. August. super verba Ps. LXXVI. « Voce mea ad Dominum clamavi, » ita scribens advertit: Sed multi clamant ad Dominum pro divitiis acquirendis, damnisque evitandis, pro suorum salute, pro stabilitate domus suæ, pro felicitate temporali, pro dignitate sæculari, postremo etiam pro ipsa salute corporis: pro his atque hujusmodi rebus multi clamant ad Dominum, vix quisquam propter ipsum Dominum, facile quippe homini est, quodlibet desiderare a Domino, et ipsum Dominum non desiderare, quasi vero suaviter esse possit, quod dat, quam ipse qui dat; quisquis ergo pro alia re qualibet clamet ad Dominum, nondum est transiens hic